

**1983-09-16 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Clara Veluti’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***CLARA VELUTI***

**SEPTEM BEATI MARTYRES IEONIUENSES  
PATRONI DIOECESIS EIUSDEM CONFIRMANTUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Clara veluti corona non tantum dioecesim ipsam Ieoniuensem sed omnem pariter Catholicam familiam in Corea illustrat iam diu honestatque candidatus illorum fidelium exercitus, qui Christum superiore quidem aetate unicum suum Servatorem et Ecclesiam veram simul matrem suam proprio effundendo sanguine propalam testari non timuerunt quosque propterea hac nostra aetate eadem Coreanae item communitates insigniter excolere non desistunt.

Praeviciens igitur Venerabilis Frater, Michael J. Pak Antistes ipse Ieoniuensis ducentesimum iam annum ab inlata illuc catholica fide, octogesimum quartum videlicet huius saeculi, rem se maxime congruentem eventui utilemque prorsus gregi suo facturum existimavit, si septem Beatos Martyres eiusdem suae dioecesis rite curavisset Patronos Caelestes eius renuntiandos et confirmandos. Preces igitur in hanc sententiam Sedi Apostolicae movit, quas Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino diligenter expensas pro sua facultate suscepit Nobisque exaudiendas commisit. Cupientes igitur cum Catholica Ecclesia in Corea iam nunc commemorare Annum Communitatis Dioecesanae ac praeparare etiam animos ad memoriam anniversariam tanto plenius celebrandam, benevolentia peculiari respicimus Ieoniuensem clerum ac populum eorumque Episcopi optatum efficimus Nostrum, dum ex apostolicae potestatis Nostrae plenitudine destinamus creamusque Septem Beatos Martyres Ieonienses: Petrum Cho Hwa-Seo, Iosephum Cho Yun-Ho, Petrum Lee Myeong-Seo, Petrum Creong Won-Chi, Bartholomaeum Creong Mun-Ho, Petrum Son Seon-Chi, Iosephum Han Weon-Seo Caelestes apud Deum omnipotentem Patronos sinimusque ut sic illi sint dicantur invocentur cum iuribus ac privilegiis quae liturgicae leges hac de re tribuunt. Contrariis nihil obstantibus. Occasione autem hac capta precantes vehementer exoptamus ut tales in Christi Regno Advocati suos inter cives terrestres fidem traditam excitent novo fervore et actionem pietatemque Catholicae vitae novo impetu locupletent, instante ducesimo anno ipsius insignium primordiorum.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Septembris, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*